





16

EXERCITATIO PHYSICA SECUNDA  
DE  
FRIGORIS ORIGINE ET OPERANDI  
METHODO.

QVAM  
DIVINIS ANNVENTIBVS AVSPICIIS.

D V C T V

JOAN. FRIDER.  
SCHEIBLERI,

M. D. EIVSDEMQUE, VT ET PHYSIC. P. P. O.

IN

ILLVSTRIS COLLEGII GROENINGIANI  
AUDITORIO MAIORI

D. XXXI. MENS. OCTOBR. ET HORIS CONSVETIS  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

PVBLINE SVBIICIET

BALTHASAR IACOB WOLFF,  
V. I. ET PHILOS. STVD. PEGLOVIENS. POMERAN.

---

SEDINI,

CYPIS HERM. GODOFR. EFFENBARTII,  
ANNO MDCCCLIII.



## III.

## I. Q. D. B. V.

## §. I.

 uaenam adhuc superessent de frigoris origine et operan-  
 di methodo indaganda momenta, in ultimo dissertatio-  
 nis primae indicanimus paragrapho. Atque simul lecto-  
 rem benevolum quem hisce promissis bona fide one-  
 rauimus, quod et reliquis satisfacturi essemus resti-  
 tantibus desideratis; in eo etiam nos nunc stare, quae ostendi-  
 mus; cumprimis vero dubia hypothesi nostrae contraria, vel for-  
 sitan opponenda ponderissima ad liquidum remouere, tandem  
 que frigoris multiplicem, quem exserit effectum ea, qua par est  
 perspicuitate ad votum eruditorum enucleare, aequum est iustum-  
 que, ne circa ima nos substitisse, videamur.

§. II. Cumprimis ergo, quod entia haud cumulentur piae-  
 ter necessitatem ab iis, qui extra caloris defectum frigoris ortum  
 ab alio deriuant principio, ut perlustremus, ordo §. XII. Diff. I.  
 structus imposuit nobis necessitatem. Ast! nil vnuquam vidi,  
 quod melius citiusque possit semoueri, hoc obstaculo; siquidem  
 peculiare frigoris principium I. necessarium vtique est, idque Illo  
 vere datur. Necessarium id omnino est, nec eo supersedere que-  
 unt physici, quum frigoris ortus ex solo caloris defectu sufficien-  
 ter nunquam demonstrabitur. Quamuis enim calor quidem cor-  
 pora expandit, et cessante calore eorum constrictio excipit expa-  
 sionem; attamen haec constrictio aut est spontanea, et in eorum  
 elasticitate fundata, eidemque proportionalis, aut extra corpora  
 ab alia materia producta. Haud igitur a caloris defectu imme-  
 diate dependet, tanquam a causa sufficiente, cuius quippe piae-  
 sentia corporis elastici dumtaxat produxit expansionem, qua ces-  
 sante, effectus, scilicet expansorius, pariter cessat. Et tali modo,  
 cessante calore nil plane vterius contingit, nisi, vt corpora pri-  
 stinam induant figuram sibi naturalem, et in eorum structura  
 et materiae quantitate ac qualitate fundatam: viribus ergo cor-  
 porum propriis pristinam restituendi figuram libertas hucusque  
 ablata conceditur iterum. Quare, si rem cum cura perpendimus,  
 corporum expansionis causa calor omnino erit efficiens, eorumque

### III.

constrictionis iterum peculiaris dabitur caussa efficiens, aut in eorum elasticitate aut in materia externa posita. At enim vero! an corpora tanto in gradu suapte constringantur, quanto constricta esse obseruantur frigori vehementiori exposita, quaestio procul dubio erit longe altioris indagationis, cuius affirmatio vix locum inueniet. Tali enim modo frigus ad essentiam cuiuscunque pertineret corporis, quomodo id praeter dubium voluit intelligi celeberrimus HAMBERGERVS, quem ex defectu caloris atque (quod probe notandum) vi corporum insita frigoris phoenomena posse explicari, sentit §. X. Diff. I.

§. III. Praemittamus igitur definitionem: essentiam entis eiusdem esse possibilatem: tunc iusta nos edocebit consequentia; quod corpora, si sua natura frigida essent, frigus quoque ad eorum pertineret essentiam: quod frigus a corporum existentia esset inseparabile, nullumque daretur corpus praeter frigidum. Vnde noua oriretur corporis definitio: quod ens sit compositum, vi motrice praeditum, ac frigiditate. Verum enim vero! quum nulla maior ad liquidum, hac explorata sit veritas: quod corpora tam caloris quam frigoris assumptionis respectu sese tantum passiuē gerant §. IV. Diff. I; nemo quoque frigus corporum tribuet naturae, prudenter cogitandi arte probe imbutus. Praeterea casus quotannis nobis subministrat experientia, euidentissime comprobantes; quod corpora vix illa elasticitate praedita a frigore nihilominus tamen vehementissime constringantur. Aqua huius rei exemplum nobis praebebit ponderosissimum. Quem enim physicorum fugit, aquam corpus esse penitus inpenetrabile, et nulla vi, nisi frigoris auxilio in angustius redigi posse spatium? Notum vero fatis est, elastica corpora ea tantum dici, quae figurae suae mutationem quidem concedunt, ast! eamdem vi propria iterum restituunt. Aqua ergo quum nulla vi in angustius redigitur spatium, elasticum corpus quoque vix, ac ne vix quidem! est vocanda, quamdui scilicet aqua esse perfeuerat. Constringitur interim a frigore quam vehementissime! Nonne haec aquae constrictionis aut condensationis vehementissimae ratio sufficiens extra aquam versabitur? quae, si caloris solummodo sequeretur defectum, elasticitatis suae

suae gradui proportionalis tantum esset § praeced. qua tamen destituitur. Idem quoque probant lachrymæ vitreæ (*Glass-Tropfen*), si ad eorum attenditur præparationem, arborum, ac ipsius ferri hiemali tempestate maior fragilitas. Quae obseruationes, corpora a frigore longe magis, ac vehementius stipari, ac condensari, quam quidem vi sua elastica suæ constringuntur, quemadmodum id iam suo tempore perspexit PLUTARCHVS, §. III. Diff. I. hanc ante oculos ponunt veritatem. Quaeque eo magis incidit in oculos, quo certius status datur intermedium, neque calidus, neque frigidus, quem pro statu corporum naturali iudicare fas est.

*Theorema:*

Corporum ergo constrictio, cessante calore quum longe major existit hiemali tempestate, quam quidem vi propriae elasticitatis fieri potest: praetereaque corpora sua natura haud frigida sunt: peculiare etiam frigoris est necessarium principium.

*Annotatio:* Aqua quod nulla vi, nisi a frigore fese comprimi patiatur, et académia florentina, et ROBERTVS BOYLE experimentis euicerunt, notatu dignissimis. Qua de re praeter ipsos auctores euolui queunt TEICHMEYERVS l. c. p. 227: KRIGEVVS l. c. §. 362: CASPAR NEVMANN in chym. med. dogmat. experimental. Tom. I. part. I. pag. 239: cuius etiam rei veritatem peculiari comprobauit experimento præclarus HAMBERGERVS l. c. §. CCCLIX, ibidemque inquiens: *hoc tamen praetermittere non licet, quod aqua sub eodem caloris gradu non sit corpus elasticum i.e. quod nulla vi in angustius spatium comprimi queat.*

§. IIII. Veram autem huius principii præsentiam §. II. quum sales aqua resoluti vere frigefaciunt, idque efficacissime præstant §. XV. XVI. XVII. Diff. I. vix amplius in dubium nullus vocabit. Nam! vbi re vera entium dantur rationes sufficietes, ibi etiam re vera eorum adsunt principia; Siquidem entis ratio sufficiens optimum eius determinat principium. Quod vero frigoris ratio sufficiens in corporum constrictione consistat a salibus aqua subtilissime resolutis, producta, ex Diff. I. et §§ sequentibus abunde elucefecit. Quare frigus suo peculiari utique gaudet principio. Vbi autem entium peculiaria dantur principia,

## VI.

ibi etiam aequo modo debent agnosciri, quodsi veras rerum explicare caussas, physicis incumbit: ibique entia praeter necessitatem neutiquam cumulantur.

§. V. Remoto igitur obstaculo tertio, ad quarti adserti §. XII. Diff. I. nos accingamus indagationem: *frigoris nimirum definitionem per caloris defectum esse incompletam*. Ni enim fallimur! pari modo haec negativa est, ac si diceretur: frigus non esse calorem. Et negatiuam definitionem ibi assumendam esse, vbi affirmatiua locum habet, omni modo denegamus, quippe quae logicis semper incompleta audiet: qua in facie rei naturalis descriptio scientifico physico arridere nequit. Imo! rem si accuratius perpendimus, frigoris per caloris defectum explicatio aequa ridiculosa est et inconueniens, ac si quis nigrum priuationem albi, quietem motus priuationem §. II. Diff. I, et paruitatem magnitudinis defectum nuncuparet. Praeter haec frigus et calor effectus intuitu, quem exserunt diuersi, in totum, adeoque impensius sibi aduersantur, sic ut equitare alienum est podagricis: vt aegritudo sanitati, et inimicitia amicitiae, album nigro, quies motui, bonum malo, tristitia gaudio, secunda fortuna aduersae etc. contraria esse statuuntur; *Calor enim expandit, et frigus constringit*. Duo autem perfecte contraria contrariis quoque gaudent principiis. Et tali modo, sicuti *calor principium expansionis*, ita quoque *frigus principium constrictions* erit dicendum.

*Annotatio:* Haec generalis regula exceptionem pati videtur, corporum intuitu elasticorum, suapte se iterum constringentium. Ast! ponderandum est, quod pristinam tantum restituunt figuram, ultra quam proprio marte, se minime constringunt; Id quod tamen fit a frigore §. III. Sic quoque ad pristinam figuram vsque sese iterum expandunt, si compressa fuerint. In vtroque ergo casu, quum a calore ultra naturam, seu ultra vim insitam expanduntur, et a frigore ultra eamdem constringuntur; per se autem, aut vi propria ad pristinam tantum figuram accedunt corpora; nec expansionis, nec constrictions principium in elasticitate eorum est quaerendum.

§. VI.

## VII.

§. VI. Ad secundum quod attinet HAMBERGERI argumentum §. X. Diff. I. recensitum, cuius discussionem §. XII. promisimus in eadem Dissertatione: frigus scilicet quod per frigidas explicetur ab iis particulas, qui peculiares assumunt particulas frigidas, id nostram, quod speramus, nullo modo ferit hypothesis, eamdemque ab omni periculo impetu sartam tectamque relinquit, quo certius ex ipso de frigore §. XXV. Diff. I. exhibita satis eluescit definitio-  
ne: nos non per frigidas, sed per salinas ab aquosis, quibuscum arctum inueniunt connubium, in subtilissimos resolutas atomos, (et quorum introitu intra corporum interstitia cohaesioneis puncta multiplicarentur §. XXIII. Diff. I. atque corpora angustioribus includerentur limitibus,) frigus definiuisse particulas. Imo! nos frigus eo minus per frigidam explicamus materiam, quo magis demonstrabimus in succedentibus paragraphis, quod sales, et si niue ac glacie vere calidiores existant, frigoris gradum nihilominus tamen evidentissime augere valeant. Tertium denique eius quod concernit adserum §. X. Diff. I: *nimirum non, nisi pauca ex hac hypothesis explicari phaenomena*, quum praeter pondus corporum ab-  
solutum auctum de reliquis necessario consequentibus nulla facta est ab auctore mentio phaenomenis, id quoque nullam merere-  
tur attentionem, (probato scilicet ponderis augmento §. XV.) nisi contrarium potius comprobare §. XII. expressis verbis pro-  
misssem. Cuncta vero, quae a frigore producuntur phaeno-  
mena, si ad eorum caussas recurrimus primarias, a corporum sine  
dubio oriuntur, vel in ea consistunt, constrictione aut condensati-  
one. Et quum haec peculiari principio suos debet natales  
§. III. et IV; phaenomena etiam ex eo melius aptiusque  
procul dubio explicabuntur, quam per oppositi, scilicet caloris,  
defectum, quo certius in primis veram methodum formalem, qua  
frigefaciens materia corpora stringit, §. XXIII. Diff. I. et §. XV.  
subsequente ad liquidum exhibuimus, eamdemque in Diff. III.  
propius adhuc delineare apud nos proposuimus. Quam ex calo-  
ris defectu quis vñquam eo minus solide delineabit, quo magis,  
quin corporum elastica constrictio a caloris defectu nequit, ne-  
potius a structura eorum dependeat §. II, et ad frigus pro-  
ducendum minime sufficiat §. III, extra omne dubium versatur.

§. VII.

## VIII.

§. VII. Leuioribus hisce de medio sublatis dubitationibus, ad eas nos nunc presso pede conuertamus, longe ponderosiores, partim a celebrioribus physicis in medium iam prolatas, partim pro sententia nostra adhuc forsitan proferendas. Praestantissimum autem, quodque me ipsum sat diu tenuit tergiuersantem, argumentum hypothesi nostrae oppositum, ipse reliquis dubitis suis adiecit praeclarus HAMBERGERVS l. c. §. DVII: *Immo!* (ibidem inquit) non augeri frigus, nisi aqua vel nix maiori gaudeat calore, quam sal, sic didici: Thermometrum, quod per integrum noctem in frigidissimo steterat aere, miscelae ex niae cum sale imposui, ita, ut tota sphaera thermometri in eadem haereret. Sed tantum abest, ut viterius spiritus vini descendaret, ut potius statim sensibiliter adscenderet, et sic de calore maiore in miscela ex niae et sale, quam in aere testatur. Ratio (pergit ibidem) huius phenomeni in eo consistit, quia thermometrum atque nix per integrum noctem intensissimo frigori aequaliter fuerant exposita, aequali quoque vtrumque corpus relatiue frigoris vel caloris gradu gaudebant: ita, ut neque viterius calor ex thermometro in niuem, nec ex niae in thermometrum abiire posset: Mixta vero niae cum sale, quod in culina, adeoque in loco minus frigido seruatum fuerat, nix a sale, tanquam minus frigido maiorem obtinuit caloris gradum. Ergo quamdam quoque sui noui caloris partem in thermometrum minus calidum transmittere debuit. In quam eamdem sententiam discessit quoque cel. KRIGERVS §. 382, adiecto iudicio: *Denn weil das Saltz, in der Küche, das Thermometer und der Schnee aber an der freien Luft gestanden hatten, so war das Saltz wärmer, als der Schnee und das Thermometer. Es machte also den Schnee nicht kälter, sondern wärmer.*

§. VIII. Verum enim vero! quamuis praestantissimi valoris ac indubitate certitudinis speciem hoc omnino prae se ferre videatur experimentum §. praeced. et auctori eius vtique concedendum sit, quod spiritus vini in thermometro contenti adscensio a maiori salis culinaris gradu caloris suam duxerit originem. Tantum tamen abest, ut euincat solide: mixturam frigidam §. XV. XVI. Diff. I. (quam materiam nuncupamus frigefacientem,) frigus haud augere, vel producere, nisi maiori sal, ipsa niae polleat frigoris gradu. Elucescit potius exinde, si iustae rationis arbitrio huic experimento superstructum traditur iudicium, quod

## VIII.

quod circumstantias cum eo coniunctas, easque, quae experientia comitantur, quibus salium virtus demonstratur frigefaciendi, haud rite dextreque pensauerit praeclarus AVCTOR. Primo enim sal in culina asseruatus, quod maiorem frigoris unquam induere queat gradum, quam quidem nix et glacies et grando in aere libero detenta, proindeque longe vehementiori frigori exposita, haut sine multa mihi persuadebo exceptione, (id quod sane! conuenit cum phaenomeno in eodam experimento a celeberrimo HAMBERGERO obseruato, spiritus scilicet adscensu, quem a maiore deriuat salis calore:) et nihilominus tamen glaciei fragmenta, et si magnae molis sint ac ingentis magnitudinis, sibi ipsis relicta et patinae stanneae imposta, aquam suffusam in hypocastu calido nunquam congelabunt. Quam primum vero cuiusdam salis proportionata additur quantitas, istius aquae e vestigio progredietur congelatio, quamvis etiam hic admixtus sal per XIV. et plures dies in calido asseruatus sit loco.

§. VIII. Vnicum hocce dubitantibus amicis oppositum experimentum §. praeced. quod egomet ipse cum clauellatis sic dictis cineribus per integrum mensem in calido meo museo tentis decies saepiusque institui: sales neutiquam ob maiorem frigoris gradum, quo praediti esse dicuntur §. VII, aquae promouere congelationem, sat luculenter nos edocet; sed! potius, longe aliam subesse huius operationis, (congelationis scilicet) rationem, id quemcumque conuincent. Sique eadem methodo frigefacientis materiae effectum percontatus esset inclitus HAMBERGERS; tunc etiam a sola salis densitate et minori cum ea coniuncti caloris gradu frigus maius per mixturam aqueo-salinam, aut niveo-salinam minime (vt opinor) deriuasset producendum, quemadmodum hanc in sententiam eum abilisse, paragaphi DVI. et DVII. in elementis suis physices reperiundi, testantur. Secundo perpendendum est, quod sales, nisi humoribus aut vaporibus aqueis soluantur §. XV. XVI. XVII. Diff. I, maiorem, vehementioremque frigoris gradum prae reliquis durioribus nunquam producere queant corporibus, eadem specifica granitate, aut maiore praeditis. HAMBERGERS autem mixturam sic dictum

B

frigidam

## X.

frigidam frigori exposuit (quemadmodum ex instituto experimento §. VII. prae sumendum est). Quare, nulla facta particularum salinarum resolutione, earum quoque effectus, maius scilicet producendi frigus, frustra plane exspectatus est ab ob servatore nostro; Et haec est solida ratio, cur earum resolutionem frigoris adiecimus definitioni §. XXV. Diff. I. Hac sane! si non opus esset cautela, sola non solum glacies sine salis additamento ob maiorem frigoris gradum congelationem promoueret; verum etiam ferrum, argentum, aurum, mercurius viuns et reliqua corpora, salibus specifice longe grauiora, ideoque longe evidenter ac exquisitioni frigoris gradu imbuta eamdem citius aptiusque procul dubio cauferentur. Id quod tamen nunquam sum expertus.

§. X. Ast! supersunt plura argumenta, ex quibus contradicentium sententiae: non nisi (nimirum) ob maiorem frigoris gradum, tanquam corpora specifice grauiora sales congelare aut frigus augere, ad liquidum constabit falsitas. Nam! si grando sumitur in media aestate casa (sic vti tunc temporis grandineos haut raro fundunt nubila nimbos), eique sal miscetur, haec eundem exerit effectum, quem nix et glaciei rasura, adiecto sale, producunt §. XVI. Diff. I. Quis vero sali in culina vel hypocausto assertato eo tempore maiorem frigoris, quam ipsi grandini vindicabit gradum? Profecto! tunc si sali vnum thermometrum alterumque grandini imponeretur, clarissimi HAMBERGERI, famigeratissimi KRIGERI recentiorumque plurium virorum doctissimorum opinio §. VII. insuperabilibus affligeretur difficultatibus. Arbitramur potius, frigoris differentiam iam manibus sufficienter distinete sentiri, quod si in una manu salem et in altera grandinem teneamus. Et nihilominus tamen haec grando gelidissima sine salis cuiusdam additamento aquam minime congelabit sub orbe reperiundam in loco calido; Id quod tamen, tepido, adiecto sale vtique fiet.

§. XI. Verum enim vero! si quis maiorem atque indubitate tam plane sententiae nostrae desideraret certitudinem; Is duo in calido triclinio sumat thermometra, duoque vitra cylindracea; ytrumque vero niue impleat vitrum ac singulis vitris intermittat ther-

thermomетrum et altitudinis gradus spirituum probe anno-  
tet: deinde niui vnius vitri proportionatam addat salis <sup>tepidi</sup>  
cuiusdam quantitatem et materiae frigefacientis huius ex-  
spectet regelationem: qua facta, vel tantum incipiente, ther-  
momетrum huic mixturae inditum, prae altero longe eui-  
denter descendet quam antea, quum sola niue circumdaretur,  
etsi etiam sal maiori gradu caloris, niue eminenter polluerit.  
Aut, si hoc non arrideat experimentum, aut duorum thermome-  
torum hasce ambages haut permittat defectus, tunc unicum  
sumat thermomетrum, idque in vitrum cylindraceum immittat  
aqua frigida refertum, et vitrum deinde vna cum thermometro  
in patinam reponat niue plenam, atque ad altitudinis gradum,  
quem spiritus tenet, probe attendat, cunctaque haec in aere li-  
bero frigido adornet ac dirigat; Post haec niui salis tepidi pro-  
portionatam adiciat quantitatem ac totum apparatus in cali-  
dum illico inferat museum. Quo facto, spiritus quidem adscen-  
dere videbitur; ast quā primū mixtura niueo-salina egeli-  
dari incipit, aqua frigida vitro indita congelare et spiritus vterius  
descendere simul incipiet. Quem experimenti huius euentum  
ipsa quoque ratio praesagiet, siquidem satis certum est, quod sine  
frigoris augmento aqua in vitro retenta neutiquam congelare-  
tur, qua tamen potestate nix sibi soli relata minime pollet §.  
VIII. sine salis cuiusdam additione.

Theorema.

Sola ergo nix quum aquam congelare neutiquam potest vi-  
tro inditam aut sub stanneo orbe reperiundam; haec tamen ad-  
iecto sale tepido certo certius sequitur, quamvis id sine frigoris  
augmento fieri nequeat; quin sales vim vere habeant frigefaci-  
endi, extra omnem versatur dubitationis aleam.

§. XII. Pari ex fundamento phaenomenon istud, ni fallor?  
ita progreditur in Diff. I. §. XVI. recensitum: quando nimirum  
niuis glebulam, adiecto sale quodam frigidorem reddere nobis  
placet. Nam! dum uniuem cum sale quodam manu nostra calca-  
mus commixtam, nix a manus calore paululum egelare incipit,  
eoque ipso sale ei admixtus aliquantulum resoluitur, et facta hac

## XII.

resolutione, frigus evidenter fortius causatur. Huius sententiae nostrae veritas adhuc magis ad liquidum constabit, si vtraque manu niuem carpis gelidissimam, eamque in vna manu detentam cum sale quodam commisces, ac deinde vtramque manum in aquam immersis aut tepidam aut frigidam. Quo facto, longe vehementiorem frigoris gradum in ea senties manu, qua mixtum tenes niueo-salinam, quam in altera sola niue referta; Et nil tamen obstabit, num salem ex culina sumferis, num vero ex calido hypocastio. Quae omnia quum vere ita sese habeant, cur non salibus, si aqua, aut vaporibus aqueis resoluuntur, virtutem frigus producendi tribueremus, nulla nobis contraria est ratio; in primis, quum eorum operandi methodus §. XXIII. Diff. I, et si etiam ad viuum resecetur, ante oculos versatur, et incompletæ cognitionis loco, quae alias frigoris explicationem per caloris defectum comitatur §. V, veritas naturae rei conformis vtramque nobis porrigit.

§. XIII. Remotis igitur hisce HAMBERGERI dubiis (ad cuius tamen praeclari viri solidam in rebus physicis eruditionem me nihilominus censeo discipulum, quemque etiam in reliquis scientiis, me longe praestantiorem veneror!) ad ea nos nunc convertamus quae a viro plurimum reverendo MICHAEL FRIDERICO LEISTICOW im Auszug der Versuche Herrn Christian Wolffens (S. H. T.) im andern Theil, in medium sunt prolata, eiusdemque iudicium acrimoniam satis produnt. Differit enim l. c. p. 99: Es sind daher einige, als Ramazzinus darauf gefallen, dass sie geglaubt, als ob der Salpeter die einzige und allgemeine Ursache aller Kälte sey. Aber ein kalter Stein, wenn man ihn in warmes Wasser legt, macht solches auch kalt. Wer wolte aber darum denselben vor die einzige Ursach aller Kälte angeben? Und wer kan sagen, es röhre solches daher, weil aus dem Stein Salpeter in das Wasser komme? Denn so müste man es ja schmecken können. Vielmehr geschiehet solches darum weil ein Theil von der Wärme des Wassers in den Stein fahret, und ihm also entgeht. Gleiche Bewandtnis hat es mit dem Salz, welches, weil es kälter ist, als das Wasser, dieses einen Theil seiner Wärme beraubet. Idem quoque §. 118, postquam experimentum quartum in Diff. I. §. XVI. allegatum recensuit, sequens ei superstruit iudicium:

### XIII.

dicium: Ware hier das Salz die würkende Ursach dieser Kälte: so müste der Schnee, nicht aber das Wasser zu Eis werden. Denn dieses schmecket gar nicht nach Salz, wohl aber jenes. Es gehet vielmehr damit also zu: Das Salz, weil es kälter ist, als der Schnee, benimmt diesem einen Theil seiner Wärme, der Schnee der Schüssel, und diese dem Wasser. Daher wird dieses zu Eis, der Schnee aber thauet auf.

§. XIV. Ad primum quod attinet argumentum §. praeced. auctori nostro celeberrimus KRIGERS l. c. §. 382. sequentibus suffragatur verbis: Es sind verschiedene Gelehrte auf die Gedanken gerathen, dass es in der Welt eine eigene Materie gebe, welche die Kälte hervor brachte, und die Feuer-Theilchen aus dem Körper heraus jagte. Sie sind hauptsächlich dazu gebracht worden, da sie gesehen, dass die Saltze kalt machen, und dass sich das Eis in einen grössern Raum ausdehnet. RAMAZZINI war unter andern dieser Meinung, und daher gab er dieses als die Ursache des kalten Winters Ao. 1709. an, dass gegen den Nordpol ein Salpeter-Gebürg eingefallen wäre, und es hätten die Nordwinde vielen Salpeter in unsre Luft gebracht. Cui recensioni ingeniosam subiungit epicrisis: Was muss nicht in dem gegenwärtigen Winter vor ein Salpeter-Gebürg eingefallen seyn, da die Kälte noch strenger gewesen, als Anno 1709?

§. XV. Magnam quidem haec argumenta, quum ea prima vice perlustrarem, in me excitabant attentionem; ast! postquam verum eorum perscrutarer valorem, nil sane in iis reperiebam, quod nostrae hypotheseos veritatem oppugnaret, multo minus eamdem penitus infringeret! Primum enim eorum quod concernit, haud equidem RAMAZZINO eatenus adstipulabimur, quatenus ex solo nitro frigoris ortum deriuare studuit. Quam eamdem ob rationem ingeniosam quoque KRIGERI sine vila frontis corrugatione admittimus epicrisis §. praeced. Nihilominus tamen, veram frigoris caussam in salibus indiscriminatim esse possumus, omnino defendemus. Primo enim, (vt paucis nos expediamus!) auctum frigus in utroque dubio ex salis maiori frigoris gradu falso deduxisse vna cum reliquis celebrioribus physicis amicis nostris plurimum venerandum §. VIII. et VIII. sufficienter demonstratum est. Et pro secundo: quamvis lapis tanquam corpus specifice grauius maiori utique imbuatur frigoris gradu, aqua specifice longe leuiori, eamque ob caussam posterio-

### XIII.

ris frigus vere augeat, tamen iure meritoque queritur, unde lapis frigus suum acquisuerit? num suapte natura, num ab alia causa externa, seu extra se posita? Quod vero corpora sua natura vere non sint frigida, §. III. est euictum, quodque sola corporum elasticitas ad intensioris frigoris productionem minime sufficiat, §. eodem edocti sumus. A causa igitur externa frigus suum acquisiuisse lapidem vehementer gelidum, pro veritate habendum est ad liquidum explorata. Id vnicum vero, falsi scilicet saporis defectus maximi ponderis obstaculum obiicere nobis videtur; ast! rem hacce si animo bene perpendimus, ipsius lapidis conditio omne impedimentum remuebit quam felicissime; Quo grauiora enim specifice sunt corpora, eo angustioribus polent poris aut interstitiis, eoque pluribus punctis contactus et cohaesionis. Lapis ergo tanquam corpus valde graue subtilissimis tantum ob pororum angustiam particulis salinis concedet introitum et nihilominus tamen harum particularum ab insinuatione longe plura accipiet puncta contactus et cohaesionis. Quod plura dantur puncta cohaesionis, eo magis coniunguntur ac constringuntur corpora, eo magis resistitur particularum ignearum motui (quae scilicet alias expandunt et puncta contactus immuniunt), eoque magis frigus augetur. Sales igitur aqueis vaporibus subtilissime resoluti quam primum corporum grauiorum angustiora ingrediuntur interstitia, eorum frigus causantur, nisi maior caloris gradus eorum vim frigefaciendi aut infringit, aut penitus supprimit.

*Scholion:* Quemadmodum enim per motum calor producitur; ita etiam omne id, quod motum imminuit et sufflaminat, calorem quoque imminuit atque sufflaminat, eoque ipso frigoris sensum producit. Quem exserendi effectum sales aqua resoluti egregia virtute sunt praediti, id quod in tertia Dissertatione luculentius explorabimus, et iam satis exploratum esse, nobis videtur.

§. XVI. Salis ergo quantitas lapidem ingressa vix pondus notabile causabitur et gustu percipietur. Praeterea que haec verba: Wenn das Saltz die würckliche Ursach dieser Kalte wäre §. XIII,

ſo müſſe der Schne, nicht aber das Waffer zu Eis werden, eum ad hoc experimentum et phoenomena id comitantia haut fuisse attentum, testantur. Verum est omnino, aquam sub orbe in glaciem neutriquam commutari, niſi nix egelare prius incipiat et in glaciem abire gelidissimam, cuius frusta manum gelu ſub ita afficiunt, vt ea vix poſſint teneri. Salii autem ſaporis defectus et in hoc dubio adductus per easdem excusabitur rationes, quas in § ſubministrarimus praecedente. Materia enim frigefaciens, prius quam aquam congelare potest ſuffufam, quum in orbem ſtanneyū prius operari debet, tanquam corpus, aqua ſpecifice longe grauius ac poris angustioribus praeditum; ſalinarum quoque particularum haud evidens quantitas ac gulfum afficiens ad aquam vsque penetrabit; qua etiam nunc non opus eſt, ſiquidem haec ſuffufa aqua lineae vnius latitudinem vix adaequabit, ideoque, quum totam eius superficiem afficit ac ſtringit materia frigefaciens, eo facilius congelabitur. Nemo interim, quiſ alias egelata glacies ſalsa praedita eſſe obſeruetur acredine, ibit inficias. Qua de re impoſterum plura.

§. XVII. Supererit denique alia adhuc hand contemnenda dubitatio, qua hic vel ille poſſitan fluctuantur: ſi, (ſcilicet) ſalinae particulae omne frigus cauſarentur, cur non frigida iugiter tempeſtate noſtra aequa, ac totius terrae aueretur atmosphaera, nulla plane daretur ſufficiens ratio. Atque huius argumenti consequentia eo maiorem splendidioremque praeſe fert veritatis ſpeciem, quo certius et aeftiuo tempore noſtra ſalinis abundat particulis atmosphaera! Tali modo nulla (opinabuntur,) legitima ſupererſet ratio, cur non in aestate etiam aequa, ac in maximo hiemis accentu regiones iam calidae ſummis niuium tegerentur cumulis, cruftisque glacierum? Quin enim et tunc ſalinarum particularum vberimam copiam noſtra habeat atmosphaera, nullas eruditorum ibit inficias. At enim vero! hocce argumentum etſi ponderoflum omnino eſſe videatur; attamen citra pulueris iactum id remouebitur; Calor enim, quemadmodum quotidiana ſatis edocemur experientia, et institutis a BOYLE aliisque physiſis excellentioribus experimentis, omnia corpora indiſcriminatim expandit, et cur non aërem ob

## XVI.

ob ingentem suam, qua pollet, elasticitatem? quem eamdem ob caussam aestiuo tempore longe rariorem animaduertimus subtillioremque, quam quidem vernali ac autumnali: nonne vna cum aëre vaporis reliquos expandet in aëre innatantes, ipsasque salinas particulas subtilissimas aëri admixtas? Dissipantur ergo talismodi particulae, suaque constringendi virtute priuantur, et maior caloris vis expandendi vim superat salinarum particularum minorem constringendi, sic, vti maior vis motrix tollit minorem vim resistentiae seu inertiae, atque lumen maius obscurare minus solet. Quis vero physicorum idcirco vim corporum inertiae massae eorum proportionalem, metricis defectum, et luminis accensi splendorem in tenebris solis absentiam nuncupabit? Vtrumque phaenomenon quum potius suos a sua peculiari ratione sufficiente vere dicit natales. Longe aliter res comparata est fronte ex aduersa hiemalis tempestatis, quo nimium tempore maior frigoris constringendi vis, radiis solis haud obstantibus minorem solis de medio tollit vim expansionsis. Idem prope polos iugiter contingit phaenomenon, et in zona temperata haud raro circa medium aestatis. Ratio igitur, quare non calida tempestate effectum euidenter constringendi et frigefaciendi exserant particulae salinae (etsi de eorum praesentia in atmosphaera calida neutquam sit dubitandum,) in motu aëris elasto aut volutato et tremulante cumprimis consistit a calore producto: quo mediante aër reciproce agitatus maiori vi expanditur ac mouetur, quam quidem eudem comprimendi et figendi potestate pollent salinae particulae. Quam primum autem nubes intercedunt solis radios absorbentes et venti accedunt septentrionales salinis particularis largius foecundati; tunc frigefaciens materia effectum suum constringendi illico exserit coniunctis viribus, vnde effusae iucundie in diebus canicularibus otiuntur, vel aër iucunde frigidus, et horrendae grandines in media subinde cadunt aestate.

§. XVIII. Cum primis rationem primariam, cur media aestate vim suam constringendi non semper exserant salinae particulae, in aëris motu consistere elasto, § praecedente haud praeter rationem diximus; Rem enim vterius si indagare placet, caussam quoque

XVII.

quoque alteram magni momenti habemus: defectum scilicet variorum aqueorum, quibus sales, nisi inertes maneant, sufficienter debent resolu. Plenam eorum equidem non statuimus absentiam, id quod in omnem procul dubio impingeret experientiam, qua, nimirum, dari et aestiuo tempore pluuias, satis omnino edoceatur. Interim tamen notatu dignissima sabinde occurrit dierum calidissimorum intercapedo, qua vapores ita dissipantur, attenuantur ac rarefiunt, ut praeter aerem rariorem vix quicquam in atmosphaera super esse videatur, et mortales, qui eundem spiritu trahunt aerem, praecordiorum angustia et animi quadam ob aeris raritatem afficiantur anxietate.

§. XVIII. *Aff! una hiems, (alii fortassis sciscitabuntur?)* prae altera minor esse obseruatur, vel magnitudine vehementior, et si nemo me hercule! adeo praeruptus animo fuerit, vt, montium horridae proclivitatis nitro impraegnatorum praecepiti ruinae caussam esse vindicandam, cum RAMAZZINO praefraetæ fingere audeat? Verum enim vero! et huius dubii difficultatem haud esse insuperabilem, qualiscumque rerum physicarum guarus nobiscum facile perspiciet, siquidem, hiemis varietatem a ventorum differentia potissimum dependere, experientia quotanni abunde convincimur. Et, quum venti, (ad nostras quod attinet temperatas regiones) frigidissimi a septentrione praecepue pronenire obseruentur; unde fridi esse debeant, et maius secum afferre frigus perspectu est facilissimum. Nemo enim, quod speramus, quin balticum mare et septentrionalis oceanus vna cum regionibus arctico polo-vicinis (eorum atmosphaerae intuitu) maiori salium copia scateant prae aethiopico oceano et regnis prope aequatorem sitis, nisi aduersus solem loqui intendat, in dubium vocabit: aquae vapor salius, eiusdemque maior gravitas et scorbuticae aegritudines, quibus frigida maria arantes, frigidasque regiones incolentes endemio quasi more vexantur, (sicuti plica poloni et strumis heluetii ac salisburgenses) controversiam largissime discernent. Quare, si, ventus per plures horas diesque ex septentrione suam derivat originem, aerem quoque frigidum, salinis quippe particulis, ex aqua salsa euaporatis, largissime impraegnatum secum omnino affert,

C

affert,

## XVIII.

affert, maiusque frigus, qui effectu suo corpora nostra non solum  
vehementius constringit, sed etiam salina sua indole varia in nos-  
bis parit bona et damna. Nam! dum spiritum trahimus deconos-  
miae vitali nostrae adeo ytilem ac necessarium, ut nullus mortali-  
um eo carere queat, aërem simul inspirare cogimur frigidum,  
qui salsa sua acredine fauces et internam asperae arteriae ac  
pulmonis membranam stimulat, afficit roditque, ut catarrhis et tussi,  
et coryza et narium salso ac acri stillicidio feroci tunc temporis  
haut infrequenter corripiamur. Multo plures adfectus morbosos  
inde oriundos, hisque regionibus eamdem ob caussam familiares,  
et ad quorum censum praeter scorbutum asthmata cum primis  
humida et phthisica incommoda aliaque mala referri merentur,  
ob uitandam prolixitatem silentio praeterire, nobis liceat.

¶. XX. Multo quidem plura, quae hypothesis nostram im-  
pugnare videntur, in medium adhuc proferrem dubia, eadem  
que nostrae subicerem pensitationi. Verum! paginarum partim  
angustia, ea silentio transire nobis suadet, partim ex praemissorum  
refutatione et haec simul suapte euanscent, dummodo tam  
praegressam, quam praesentem, eamque, <sup>de</sup> <sup>eo</sup> volente proxime  
subsequentem tertiam probe pensitanter L. B. dissertationem.  
In primis vero, quum frigefacientis peculiaris principii *necessitatem*  
§. II. et III. eiusdemque veram praesentiam §. IIII, pondero-  
rissimorumque dubiorum falsitatem discussius iam commonstrau-  
imus; hypothesis nostram in longe certioribus initii argumen-  
tis, ea, quae frigoris originem ex caloris defectu negantur tan-  
tum derivare docet, quilibet lector, physicis alias si imbutus  
veritatibus, nobiscum habebit persuasum. Ea vero, quae de fri-  
goris multiplici effectu §. I. eiusdemque operandi methodo tam  
generali quam speciali adhuc differere apud nos proposuimus, ad  
-us a tertiam usque prorogabimus exercitationem. Tantum!  


00 A 6274

ULB Halle  
002 913 380

3



56

VDA 8

Reha



B.I.G.



EXERCITATIO PHYSICA SECUNDA

DE

FRIGORIS ORIGINE ET OPERANDI  
METHODO.

QVAM  
DIVINIS ANNVENTIBVS AVSPICIIS,

D Y C T V

JOAN. FRIDER.  
SCHEIBLERI,

M. D. EIVSDEMQUE, VT ET PHYSIC. P. P. O.

IN

ILLVSTRIS COLLEGII GROENINGIANI  
AUDITORIO MAIORI

D. XXXI. MENS. OCTOBR. ET HORIS CONSVETIS  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

PVLICE SVBIICET

BALTHASAR IACOB WOLFF,  
V. I. ET PHILOS. STVD. PEGLOVIENS. POMERAN.

SEDINI,

TYPIS HERM. GODOFR. EFFENBARTII,  
ANNO MDCCCLIII.